

tionem eorum. Et idem docet II tom. I part. disp. XI, cap. IV. Alterum quod affirmat est in disp. LXXVIII, citata, num. XII et XIII, quod intellectus divinus non solum non format ens rationis primo, et per se, quando non supponit esse factum, et formatum ab intellectu nostro, sed neque concipit illud, ut ens rationis est; quia si sic conciperet, cum redderet illud cognitum, et apprehensum, hoc ipso daret illi esse rationis, et formaret illud.

XXXII. Cæterum Thomistæ qui sentiunt Deum cognoscere ista entia rationis, et istos respectus ideales, aliqui dicunt non formare illa, neque fingere, licet cognoscat esse formata a nobis, quia ad formanda entia rationis non sufficit quomodo-cumque cognoscere illa, sed oportet quod cognoscantur ad instar relationis realis, et non supponantur formata ab alio. Alii vero dicunt respectus ideales, et alia entia rationis non solum fundamentaliter, sed etiam actu esse in intellectu divino, quia ad hoc sufficit actu esse cognita, etiamsi non concipiantur ad instar entis realis, quia hoc ipso quod sunt actu cognita, sunt actu existentia, seu præsentia intellectui. Quam sententiam videtur sequi mag. Gonzalez hic disp. XLVII, sect. II, et apertius mag. Serra, I tom. I p. q. XV, art. II, conclus. III, alique doctores.

XXXIII. Nihilominus conclusio nostra quantum ad primam sui partem, nempe quod aliqui respectus rationis, inter quos sunt isti ideales, non fundentur immediate in ipsa mutatione creaturæ, sed in ipsa actione æterna Dei ut immanente, sumitur expresse ex D. Thoma, in hac prima parte quæstionis XIII, art. VII ad III, ubi inquit quod: « Operatio intellectus, et voluntatis est in operante, et ideo nomina quæ significant relationes consequentes actionem

intellectus, vel voluntatis dicuntur de Deo ab æterno, quæ vero consequuntur actiones procedentes ad exteriores effectus, dicuntur de Deo ex tempore, ut salvator, creator et ejusmodi.» Et idem docet hic quæst. XIV, art. XV ad I. Quod autem respectus ideales immediate fundentur in intellectu divino, et ab æterno illi convenient docet, tum in præsentis articulo II ad II, dum inquit quod: « Hujusmodi respectus quibus multiplicantur ideæ, non causantur a rebus, sed ab intellectu divino comparante essentiam suam ad res; » tum in I, dist. XXXVI, quæst. II, art. II ad II, ubi dicit quod: « Propter hoc fuit pluralitas idearum ab æterno in intellectu divino, et non in natura ipsius, quia intellectus divinus ab æterno fuit intelligens essentiam suam diversimode a creaturis imitabilem. »

XXXIV. Ratio autem hujus est, quia ad fundandum istos respectus inter operationem Dei, et creaturas, sufficit attingentia operationis erga illas, sicut in actionibus creatis fundatur relatio ad suos terminos, sed in nobis ista relatio est realis, quia actio dependet a termino realiter, actio autem Dei quia est entitas absolutissima, et independentissima, ideo non attingit creaturas aliqua reali dependentia, sed summa eminentia, sicque non fundat respectum realem, sed rationis; sed cum hac differentia, quod actio Dei ut transiens respicit creaturas ut effectus productos, effectus autem non dicitur quousque in se passive immutetur, et producat in tempore, et ideo licet actio sit æterna, non tamen fundat relationem ad effectum, quatenus æterna est, sed quatenus temporaliter reddit effectum productum, et immutatum passive, et ideo talis relatio fundatur in ipsa immutatione creaturæ, quia solum per illam attingitur ut

effectus: at vero actus immanens in quantum talis, respicit creaturas per modum objecti intra se cogniti, et tacti; et sic ad attingendum illas non expectat immutationem creaturæ temporalem, sed hoc ipso quod attingit intra se immanenter, fungitur officio suo, nec aliud requirit ut fundetur habitudo, et respectus ad ipsas, quia hæc habitudo fundatur in ipsa attingentia objecti: hæc enim intelligi non potest sine aliqua habitudine ad ipsum, saltem rationis; datur autem hæc attingentia operationis immanentis ante omnem immutationem creaturæ: ergo ante ipsam fundari potest habitudo, et respectus rationis in ipso actu intellectus, et voluntatis ab æterno.

XXXV. Nec tamen simili modo sequitur quod Deus formet, vel fundet in suo intellectu distinctionem suorum attributorum, quæ etiam est distinctio rationis, quia hæc non fundatur in attingentia attributorum, ut sunt in se, sic enim cognoscuntur ut sunt unum, sed intellectu cognoscente limitate illa attributa, et cum connotatione ad creaturas, nec adæquante totam eminentiam attributorum: talis autem cognitio non datur in Deo, et ideo non fundat distinctionem rationis inter attributa, neque quamlibet aliam relationem rationis, quæ fundatur, et petit inadæquatam et imperfectam cognitionem Dei: at vero relationes idearum consequuntur ex perfectissima cognitione, et attingentia creaturarum, et ipsius Dei, ut cognoscitur omni modo quo imitabilis, et comparabilis est ad creaturas, et sic in ipso Dei intellectu fundantur isti respectus idearum.

XXXVI. Quoad secundam vero partem conclusionis, pendet ex illa difficultate quomodo ens rationis consistat in cognosci, et dicatur habere esse per relationem. Nam ali-

qui existimant ens rationis actu, et formaliter esse per quamcumque cognitionem, qua cognoscatur, etiamsi supponatur formatum et cognitum ab alio, et prout sic formatum intelligatur, vel etiam fundamentum ipsum relationis sub comparatione aliqua cognoscatur. Alii per aliud extremum requirunt non solum cognitionem directam, qua aliquod objectum extra intellectum cognoscatur comparative ad aliud, sed etiam reflexam, qua illa comparatio cognoscatur in actu signato, et consideretur ab intellectu, ut relatio. Alii dicunt relationem rationis tunc actu, et formaliter habere esse in intellectu, non quando cognoscitur in actu signato, et reflexo quid sit, nec quando cognoscitur ut formata, et cognita ab alio: his enim modis solum cognoscitur ens rationis tamquam objectum quod, et tamquam res cognita denominative, qui modus cognoscendi est communis enti reali, et rationis: omne enim objectum sive rationis, sive reale, potest denominari cognitum denominatione extrinseca, et hæc sola denominatio extrinseca non constituit ens rationis, sed per hoc constituitur, quod apprehendatur aliquid quod non est ens, vel relatio realis ad instar entis, vel relationis realis, et sic consecutive dicitur relatio, seu ad instar relationis se habet beneficio cognitionis, non vero solum denominative redditur cognita.

XXXVII. Nos tertium modum dicendi secuti sumus in logica q. II, art. IV et V, ideoque negavimus Deum formare entia rationis, quia cognoscere id quod non est relatio ad instar relationis, et quidquid non est tale ad instar alterius, est cognitio imperfecta pro eo quod habet connotationis, et ad instar: et sic aliud est cognoscere unum per aliud, in quo continetur, vel cui op-

ponitur, aliud cognoscere ad instar, ut etiam præcedenti tomo, disp. XVIII, art. IV, deduximus. Eamdem sententiam nunc sequimur ut veriorum, et magis D. Thomæ conformem, qui in opusc. XLII, cap. II, inquit quod: « Tunc efficitur ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non est, et ideo fingit illud ac si ens esset. » Et particulatiorem istam ponderat quæst. VII de potentia, art. XI, ubi prius distinguit de relationibus, quæ sunt secundæ intentiones, et attribuuntur rebus, prout intellectis, et sic sunt relationes ab intellectu inventæ: aliæ sunt relationes rationis, quæ sunt primæ intentiones, et attribuuntur rebus extra intellectum, et prout sunt a parte rei: « Et tales relationes, inquit, consequuntur modum intelligendi, secundum quod aliqua non habentia secundum se ordinem ordinate intelliguntur, licet intellectus non intelligat ea habere ordinem, quia sic esset falsus. » Requirit ergo D. Thomas ad relationes rationis, sive secundæ, sive primæ intentionis, quod consequantur modum intelligendi, qui modus consistit in hoc quod concipiatur id quod non habet ordinem secundum se, tamquam ordinate se habens, licet intellectus non iudicet quod habeat talem ordinem: sic enim esset falsus; hoc autem manifestam importat imperfectionem in cognoscendo; tum quia id quod non habet ordinem concipitur ad instar rei ordinatæ, et ad instar alterius, et non secundum quod in se est, quod patet manifeste, quia non potest iudicari, et affirmari quod ita se habeat sicut per illum modum concipitur, quia sic esset falsus intellectus ut dicit D. Thomas. Non potest autem non esse imperfectio sic rem aliquam apprehendere, quod ex modo apprehensionis non possit iudicari quod ita sit in re, atque adeo si

Deus concipit essentiam suam ut relatam, et ordinatam ad creaturas, cum in re ordinata non sit: ergo debet formare hoc iudicium: Ergo concipio meam essentiam taliter quod non est sicut concipio: hoc autem manifesta imperfectio est, quia multo perfectius est concipere taliter quod semper possit dici, ita est in re, sicut concipitur: ergo Deus non format istas relationes rationis. Quod autem relationes istas ab alio intellectu formatas cognoscat, vel etiam earum quidditatem, et fictionem intelligat, reddit quidem illas cognititas denominative denominatione extrinseca, eo modo quo redditur cognita quæcumque res, quando cognoscitur, non tamen redditur formata in esse cognito, et habens esse fictum per intellectum divinum, quia non reddit illam cognitam ad instar relationis realis, qua ratione formatur et fingitur in cognitione illa creata, sed solum cognoscit quid ab alio intellectu de illa formatum, et cognitum sit.

XXXVIII. Dices: Intellectus divinus comparat essentiam suam ad creaturas, ut dicit D. Thomas in præsentis articulo II ad III, et illa comparatio non est relatio realis in Deo ad creaturas, ut nos etiam fateamur: ergo est rationis, et non est formaliter ab alio intellectu formata, quia non est alius intellectus ab æterno nisi divinus, et ille ab æterno comparat essentiam suam ad creaturas: ergo immediate per suam cognitionem format illam relationem rationis, si quidem formaliter comparat.

XXXIX. Respondetur admittendo quod intellectus divinus comparat essentiam suam ad res, ut D. Thomas dicit, sed negamus quod istam comparationem facit per modum, et ad instar relationis formaliter, sed eminenter, et ita causat illas relationes, id est, fundat proxi-

me, non autem causat, id est, format per modum relationis, et ad instar illius concipiendo essentiam suam, licet nos illam comparationem intelligere non possimus, nisi per modum relationis formalis, et ideo relationes illas rationis in Deo formamus. Itaque comparatio essentia divina ad creaturas est duplex, scilicet eminentialis, et formalis. Eminentialis est ipsa absolutissima perfectio divinae essentia, qua se habet erga creaturas sine ullo respectu formali, aut dependentia, sed cum summa eminentia, qua facit erga creaturas superiori modo id quod agens creatum agit cum dependentia, et respectu. Et hoc modo Deus comparat essentiam suam ad creaturas comparatione eminentia, non dependentia, nec relationis formalis, id est, cognoscendo essentiam ut relatam ad creaturas, cum in se relata non sit: nos autem quia non possumus illam eminentiam, ut talis eminentia est, attingere in se, ad instar relationis illam cognoscimus, et comparamus. Et talis comparatio ad instar relationis formalis facta et apprehensa constituit, et format relationem rationis actu. Primo vero non format actu, sed fundat, licet etiam videat nos illam formare, sive de præsentis formemus, sive de futuro, aut de possibili Deus videat posse formari, quod totum ad idem pertinet.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

LX. Primo, arguitur illo vulgari argumento, quia in Deo non sunt plures artes, vel plures sapientia, imo nec plures conceptus, seu species, licet sint plures creaturae factæ per artem, intellectæ per sapientiam, et expressæ per conceptum: ergo neque etiam dantur

plures ideæ. Antecedens est certum, et admittitur a D. Thoma hic articulo secundo, quia unica ars sufficit ad plura artefacta, et unica scientia ad plura objecta. Consequentia vero probatur a paritate rationis, quia si attendamus ad ipsam realitatem, et substantiam idearum tantum est una, nempe essentia divina, quæ in ipsa realitate non multiplicatur, ut satis dictum est. Si attendamus ad rationem formalem producendi, etiam omnes ideæ conveniunt in una ratione formali, tum quia totum hoc universum, quod est integer effectus idearum, est unum unitate ordinis; et hæc est primo, et per se intenta ut ratio formalis ex parte effectus; tum quia idea est exemplar, et forma ipsius artis: ergo eadem ratio formalis quæ sufficit ad unitatem artis, sufficit ad unitatem ideæ. Si denique attendamus ad relationes rationis propter quas ideæ multiplicantur, etiam istæ dantur in ipsa sapientia, et in ipso conceptu, et arte Dei, quia etiam conceptus, et sapientia attingit plures creaturas, ut plures sunt, et sic fundat respectus ad illas, non unicum, sed plures, quia istæ creaturae plures sunt: ergo undique est paritas.

XLI. Confirmatur, quia isti respectus rationis non sunt constitutivi idearum, etiam ut plures sunt, sed conditio ad illas requisita, ut diximus: ergo simpliciter, et absolute non sunt in Deo plures ideæ. Consequentia probatur, quia isti respectus non pertinent ad constitutum idearum: ergo neque ad distinctivum: ergo non possunt denominari ideæ plures, et distinctæ ex pluralitate respectuum rationis.

XLII. Respondetur quod p. Vasquez hic disp. LXXIII, cap. III, assignat differentiam inter scientiam, seu artem Dei, et inter ideam, quod scientia, et ars sumunt pluralita-

tem, vel unitatem ex ratione formali respiciendi objectum, ideæ vero ex pluralitate materiali objectorum circa quæ versantur, sicut ars pictoris, quæ est una in ratione habitus, procedit ex diversis ideis circa diversas picturas. Sed quia restat de hoc ipso assignare rationem, videlicet cur pluralitas idearum sumatur ex pluralitate materiali objectorum, et non ex ratione formali, si est una, conatur eam assignare Vasquez ibid. n. XIII, quia in Deo pro singulis rebus, etiam minimis, singulæ ideæ constituendæ sunt nostro modo, intelligendi, quia idea est essentia divina, ut habet rationem cognitionis; hæc autem ex diverso ordine ad diversa objecta dicitur multiplicari; artifex autem creatus utitur idea exteriori sibi proposita, quæ una, et eadem manet pro diversis artefactis ejusdem rationis, licet id faciat artifex per diversas apprehensiones, et cognitiones. Cæterum in hac etiam ratione non solvitur difficultas proposita: inquirimus enim cur in Deo scientia, et ars non multiplicentur, quia ratio formalis earum una est, licet objecta materialia sint plura, scilicet omnes creaturæ sub ratione entis creabilis; ideæ vero multiplicantur ex multiplicatione materiali objectorum, stante etiam unica ratione formali: quod enim idea in Deo non sit aliquod externum exemplar, sed ipsa cognitio Dei, nihil obest, quia potius oppositum ex hoc debebat inferre Vasquez, si enim idea est cognitio ipsa, et cognitio non multiplicatur in ratione cognitionis propter multiplicatam objectorum materialium stante unica ratione formali: ergo etiam idea non multiplicabitur ex multiplicatione materiali objectorum stante ratione formali una.

XLIII. Quare recurrendum est ad solutionem D. Thomæ in præsentibus

articulo secundo quod ars, et scientia, et alia attributa important aliquid per modum formæ ipsius subjecti tantum, et rationis, seu principii quo operatur, seu cognoscit Deus: idea autem, in quantum idea, non importat formam ex parte ipsius subjecti, seu principii quo operandi, sed ex parte ipsius subjecti cogniti, et sic est forma ipsius ideati, non ipsius ideantis, et sub hac formalitate, seu ratione multiplicatur idea, non solum in ratione materiali objectorum quæ tangit, sed etiam in ratione formalitatis formæ, quia alia ratione format unum idearum, quam aliud. Itaque idea et habet rationem formæ intrinsecæ respectu ipsius intellectus ideantis, et hoc modo non est aliud quam ipse conceptus, nec magis plurificatur in Deo, quam cognitio ipsa et ars, seu scientia sub hac consideratione. At vero in quantum forma extrinseca (quod proprie et formaliter importat ipsum nomen ideæ) sic alio modo habet suam rationem formalem, scilicet per ordinem ad sua ideata, in quantum diverso modo formabilia, non per ordinem ad ipsum intellectum ut tendentem ad illa sub unica ratione intelligendi. Sic autem habet vim, et rationem multiplicis formæ, quia ea quæ formantur plura sunt, ut plura, et ut distincta inter se; atque ita ratio formalis ideæ in ratione formæ extrinsecæ non est unica, sed plures, quia pluribus modis format ipsa ideata, respectu quorum induit rationem formæ intrinsecæ, et gerit munus multiplicis formæ juxta diversa formabilia, licet in ratione conceptus, scientiæ, et artis ratio formalis unica sit, quia solum ex parte intellectus se tenet tamquam virtus ejus et forma intrinseca quæ tamquam principium, et virtute attingit omnia.

XLIV. Et cum instatur, quod idea

est exemplar, et forma artis, sicut complementum ejus, et sic non debet magis plurificari, quam ars, distinguo; est forma, et complementum artis, forma solum subjectiva, id est, solum informans ipsum ideatum, concedo; et in hac consideratione multiplicatur in ratione formæ extrinsecæ, quatenus diverso modo imitabilis est, et sic induit diversum officium, et munus informandi, et pluralitatem formæ, quod non habet ars, quæ non respicit artefacta per modum formæ imitabilis, sed per modum principii cognoscentis, et dirigentis. Quod vero additur in argumento, quod universum, hoc est unus, et integer effectus unitate ordinis, et sic unam rationem formalem habet respectu ideæ, respondetur quod hoc universum solum est unum unitate ordinis, non unitate rei formalis, et ita requirit unam ideam illius ordinis; et plures ideas rerum ordinarum, quæ in se sunt diversæ res totales, et diversam speciem, vel individuationem habent; debent autem dari ideæ istarum rerum ex quibus componitur universum, non solum pro ea parte qua conveniunt in unitate ordinis, sed etiam pro ea parte qua inter se diversæ sunt, et sic exigunt diversas ideas: imo D. Thomas in præsentibus articulo secundo ex eo probat dari in Deo plures ideas, quia hoc universum est unum sola unitate ordinis, quæ exigit pluralitatem inter se rerum ordinarum.

LXV. Instabis: Unitas ordinis in objectis scientiæ, et artis sufficit ad unicam rationem formalem unius habitus, imo et unius ideæ: nam una domus, aut una statua, aut pictura habent unicam ideam, et tamen ipsum ideatum plerumque non habet nisi unitatem ordinis, quod patet in una domo habente plura habitacula, aut in alio artefacto constante ex pluribus entibus quasi ag-

gregatum. Cur ergo non sufficiet unica idea Dei ad totum universum, licet non sit nisi unum unitate ordinis? Nec amplius probat ratio D. Thomæ nisi quod detur unica idea simpliciter totius universi, et plures partialiter respectu diversarum partium, sicut patet in exemplo ædificatoris, quo utitur D. Thomas qui habet ideam domus, et singularum partium; sed non pro qualibet parte datur distincta idea simpliciter. Unde articulo tertio sequenti ad tertium, ponit D. Thomas quod neque genera, neque accidentia propria subjecti habent specialem ideam: ergo sicut pro illis sufficit unica idea totius, ita sufficiet unica idea pro toto universo.

XLVI. Respondetur quod tam in mente divina, quam in mente artificis creati quantumcumque effectus artificiosi adunenter unitate ordinis, si tamen quodlibet illorum sit diverso modo formabile in sua propria specie, distinctam ideam postulat simpliciter, licet iterum detur idea illius unitatis ordinis quem inter se servant, et cui subjiciuntur omnia illa ideata: sicut in artificio domus diversam ideam habet fenestra, quam paries, quia diverso modo formari debent, licet ex omnibus componatur domus, et diversam ideam habet columna quam porta, licet ex omnibus integretur ædificium. Sic multo magis Deus habet diversas ideas de diversis rebus integris, et totalibus, quæ sunt in hoc universo, eo quod diverso modo est formabilis una ab altera, et pertinet ad ideam divinam esse formativam rei usque ad minimam, et magis individualement differentiam, quia totum hoc est a Deo: ubi autem aliquid diverso modo formabile est simpliciter, et in genere entis, habet etiam distinctam ideam formativam simpliciter in ratione, et officio formæ, quia hæc distingu-